

1. Cor. 10.  
14.

idolothyta sacrificia manducaverint, quomodo Israel carnalis socius erat altaris in templo, qui de sacrificiis manducabat. Ideo quippe addidit, carnaliter, vel secundum carnem, quia est Israel spiritualiter, vel secundum spiritum, qui veteres umbras jam non sequitur, sed eam consequentem, quæ illis umbris precedentibus significata est, veritatem. Hinc enim cepit, ut hoc diceret: *Propter quod, dilectissimi mihi, fugite ab idolorum cultura.* Deinde securus ostendit, ad quod sacrificium jam debeant pertinere, dicens: *Quasi prudentibus dico, judicate vos quod dico. Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Domini? Quia unus panis & unum corpus multi sumus; omnes enim de uno pane participamus.* Et propter hoc subjunxit: *Videte Israel secundum carnem: nonne qui de sacrificiis manducant, socii sunt altaris?* Ut intelligerent, ita se jam socios esse corporis Christi, quemadmodum illi socii sunt altaris. Et quia ut hoc diceret, ab idololatria prohibebat (unde locus iste sermonis ejus, sicut commemoravi, sumsit exordium) ne putarent ideò non esse curandum, si de sacrificiis ederent idolorum, quia idolum nihil est, existimantes sibi hæc velut superflua non nocere, confirmavit quidem & ipse nihil esse idolum: nec ideò se ista prohibere, quia idolis immolantur, quæ non habent sensum: sed quia *quæ immolant*, inquit, id est, idolorum cultores, *demoniis, & non Deo, immolant.* Nolo vos socios demoniorum fieri. Istum sensum veritas ipsa declarat: quia in templo, cui serviebat carnaliter Israel, non utique idolum

1. Cor. 8. 4.

1. Cor. 10.  
20.

CO-

celebatur. Nam si sacrificia quæ in illo templo secundum veterem Legem offerebantur Deo, tamquam idolorum sacrificia damnarentur, vel tamquam dæmoniis immolata, nullo modo ipse Dominus Christus leproso, quem mundaverat, diceret: *Vade ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Nondum enim dederat pro sacrificiis illis omnibus sui corporis sacrificium; nondum suscitaverat sui corporis templum. Nec de illo templo ejiciens eos qui boves & columbas vendebant<sup>a</sup> diceret: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Matt. 8.  
4. &  
Levit. 14.  
2.

Matt. 21.  
13.

CAP. XX.

39. SANE de apocryphis iste posuit testimonia, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ, Joannisque conscripta sunt. Quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra & deinceps tempora perseverat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus deorum locutus vocavit terram, à solis ortu usque ad occasum. Hæc quippe Ecclesia est Israel secundum spiritum; à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui serviebat in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundum spiritum, cui dictum atque prædictum est: *Audi populus meus, & loquar tibi; Israel, & testificabor tibi:* & cetera, quæ jam supra commemoravi. De hujus enim domo non accipit vitulos, neque de gregibus ejus hircos. Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundum ordinem Aaron,

Pr. 49. 2.

Ibid. 7.

<sup>a</sup> Plerique MSS. dixerat.

- sed secundum ordinem Melchisedec. Quod in eo Psalmo positum est, quem Dominus Jesus in Evangelio de se conscriptum esse testatur, quærens à Judæis, respondentibus Christum filium esse David, quod solum de illo carnaliter noverant, quomodo eum David in Spiritu dixerit Dominum? Tunc enim hujus Psalmi commemoravit exordium: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ibi quippe & hoc dictum est: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedec, quando benedixit Abraham: & si jam sunt particeps ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non pœnitebit, significatio est quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutavit quippè sacerdotium secundum ordinem Aaron. Unde alius Propheta dicit ad eum qui carnaliter est Israel: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris.* Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, & dicit: *Quia ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Ecce quod est secundum ordinem Melchisedec. Incensum enim, quod est græcè *ἱερόθυμα*, sicut exponit Joannes in Apocalypsi, orationes sunt sanctorum. Deus quippè ille, sicut canitur in Psalmo, qui *vocavit terram,*

Matt. 22.  
42.

Ps. 109.1.

Gen. 14.  
18.

Mal. 1.10.

Apoc. 5.8.

Psal. 49.  
2. 3.

à solis ortu usque ad occasum; cui terræ, id est, cui populo diffuso à solis ortu usque ad occasum, diceret: *Non accipiam de domo tua vitulos, immola Deo sacrificium laudis: ipse per hunc prophetam, quod certissimè futurum erat, jam velut factum prædicans ait: Ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo & hostia pura; quia magnum est nomen meum in gentibus.*

40. Non enim, sicut hominem, pœnitent Deum, sed sicut Deum: quemadmodum non sicut homo irascitur, nec sicut homo miseretur, nec sicut homo zelat; sed omnia sicut Deus. Pœnitentia Dei non est post errorem: ira Dei non habet perturbati animi ardorem: misericordia Dei non habet compatiens miserum cor, unde in latina lingua nomen accepit: zelus Dei non habet mentis livorem. Sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio: ira Dei est vindicta peccati: misericordia Dei est honitas<sup>a</sup> opitulandi: zelus Dei est providentia, qua non sinit eos quos subditos habet, impunè amare quod prohibet. Unde iste qui tam loquaciter exagavit Dei pœnitentiam, discat primò, vix inveniri aliquid quod dignè de Deo dici possit; sed plurima & penè omnia nos de illo dicere loquendi necessitate, quæ magis homines ex hominibus metiuntur; sicut autem intelligenda de illo sunt, vix à paucis & spiritualibus intelliguntur. Propter quod providentissimè Scriptura divina de illo ineffabili loquens, ad quæ-

TOM. II.

Q

dam

<sup>a</sup> Sic in MSS. At in editis, *bonitas opitulantis.*

dam etiam verba descendit, quæ jam hominibus, & ipsis carnalibus, cum de Deo sermo est, videntur absurda & indigna: ut cum timetur ista sic accipi, quomodo in hominibus solet, & discutiuntur quemadmodum de Deo bene accipi possint, ibi discatur, etiam illa quæ humanis sensibus in eisdem Scripturis Deo digna videbantur, non secundum hominum mores intelligi vel credi oportere. Cito enim videtur poenitentia, sicut ab hominibus agitur, non cadere in Deum: sed non cito videtur etiam misericordia, sicut homines miserentur, non cadere in Deum. Ex illo ergo quod requirendum fatetur, discit homo & hoc requirere, quod jam sufficere arbitrabatur. Sic ergo quando eum poenitet, non mutatur, & mutat; sicut quando irascitur, non movetur, & vindicat; & quando miseretur, non dolet, & liberat; & quando zelat, non cruciatur, & cruciat.

41. Numquid autem in libris Testamenti novi desunt hæc verba, quæ si accipiantur, sicut in hominibus intelligi solent, nullo modo congruunt divinitati, & gravem pariunt offensionem? Cum enim de Christo verissime dicat Evangelista, quod *Non opus habebat, ut ei quisquam testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine;* cur ipse quibusdam dicit: *Nescio vos?* Ipsos denique sanctos suos cum præscierit, & elegerit ante mundi constitutionem, quid est quod dicit Apostolus: *Nunc autem cognoscentes Deum, immò cogniti à Deo;* quasi nunc eos cognoverit, quos antea nesciebat? Quod verò ait: *Spiritum nolite extinguere,* tamquam a extingui Spiritus possit; quis a ferat nisi qui

a Veteres codices, quis eruat. Fortè pro, quis servat.

ea prudenter intelligit? Nonne in Evangelio scriptum est: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum?* Calumnietur ergo & huic verbo iste blasphemus, & dicat: *Qualis est qui irascitur, cum scriptum sit: Iracundia viri justitiam Dei non operatur?* Calumnietur isto modo & Apostolo dicenti: *Numquid iniquus Deus, qui infert iram?* Jam porrò si quisquam diceret: *Confundetur Christus, & hoc eo tempore quo judicaturus est vivos & mortuos; quis eum christianus patienter audiret?* Tamen in Evangelio: *Qui me, inquit, confusus fuerit, & verba mea, in generatione ista adultera & peccatrice, & Filius hominis confundetur eum cum venerit in gloriam patris sui cum Angelis sanctis.* Cur autem orantes dicimus: *Sanctificetur nomen tuum,* si semper est sanctum; nisi quia verum est, & quod scriptum est de quibusdam, quia *polluerunt nomen Domini Dei sui?* Et cur dictum est Domino: *Memento mei cum veneris in regnum tuum;* si nihil obliviscitur; nisi quia non insipienter, sed intelligenter ei dicitur: *Oblivisceris inopiam nostram & tribulationem nostram?* Ergo & scienter nescit; & quod semper scivit, aliquando cognoscit; & cum exstinguitur à negantibus, inextinguibilis permanet; & tranquille irascitur; & confundi non potest, etiam quando confunditur; & nomen ejus pollui non potest, etiam quando polluitur; & oblivisci non potest, etiam quando obliviscitur; & meminit, etiam quando admonetur. Sic est ineffabilis. Hæc enim de illo dicuntur, de quo nihil ab homine, vel homini satis dignè, & satis competenter dicitur.

Joan. 3.  
36.

Jac. 1. 20.  
Rom. 3. 5.

Marc. 8.  
38.

Matth. 6.  
9.

Ezech. 43.  
8.

Luc. 23.  
42.

Ps. 43. 24.

Joan. 2.  
25.

Matth. 25.  
12.

Gal. 4. 9.

1. Thess. 5.  
19.

*Psalm. 1.* Quæ cum ita sint, quis religiosus non istum  
5. exsufflet ut pulverem, quem projicit ventus  
à facie terræ; qui tumens, & elatus, atque ir-  
ruens in oculos infirmorum, eosque pertur-  
bans, videtur sibi aliquid dicere, arguendo  
verba in vetere Testamento quæ non intel-  
ligit, nec intuendo quæ in novo intelligit?

42. Hoc autem de pœnitentia Dei, unde  
factum est ut loqueremur, cum commemo-  
raremus prophetiam de Christo, ubi dictum  
est: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum:*

*Ps. 109.* *Tu es sacerdos in æternum, secundum or-*  
4. *dinem Melchisedec;* ad commendandum sa-  
crificium salutare, in quo pro nobis sacer san-  
guis effusus est, cujus umbræ fuerant sacri-  
ficia, quæ de pecoribus immaculatis jussa sunt  
immolari: hoc ergo de pœnitentia Dei, ne  
sic eam putaret accipiendam, ut ex eo quod  
non intelligit, in blasphemiarum latratorum ra-  
bidus insaniret, habebat unde commoneretur  
in proximo. Ipse quippe commemoravit Deum  
dixisse: *Pœnitet me unxisse Saul in regem.*

*1. Reg. 15.*  
11.

Hoc autem scriptum est Samueli sancto dic-  
tum fuisse, per quem Deus arguit Saulem,  
quod homini, quem Deus occidi jusserat, pe-  
percisset, exhibens velut misericordiam con-  
tempta obedientia: quasi verò meliùs nosset  
quid de homine fieri debuerit, quàm ille qui  
hominem fecit. Ubi quod saluberrimum est  
discimus, ut SEMPER divinum præceptum hu-  
manum in nobis vincat affectum. Idem tamen  
Samuel cui dixerat Deus: *Pœnitet me unxis-  
se Saul in regem;* dicit evidenter, Deum non  
pœnitere. Nam ita scriptum est: *Et factum  
est verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœ-  
nitet me, quod constituerim Saul in regem,  
quoniam aversus est à me, & verba mea  
non*

*non custodivit.* Et paulò post Sauli dixit ipse  
Samuel: *Disrupit Dominus regnum Israel* *Ibid. 28.*  
*de manu tua hodiè, & dabit illud proximo  
tuo bono super te, & dividetur Israel in duo:  
& non convertetur, neque pœnitebit eum; quo-  
niam non est sicut homo, ut pœniteat eum.* Ec-  
ce qui <sup>a</sup> noverat intelligere Deum sine <sup>b</sup> mi-  
seria miserantem, sine ira irascentem, sine  
zelo zelantem, sine oblivione obliviscentem,  
sine ignorantia nescientem, sine pœnitentia pœ-  
nitentem: non iste qui secundum verbum Dei  
non loquendo, & litteras ejus non conside-  
rando, & voces earum non advertendo, fac-  
tus est mutus latrator, cæcus lector, surdus  
auditor.

43. „Obliviosus, inquit, Deus, & emortua  
„memoria, arcum posuit in nubibus, qui iris  
„dicitur, unde commoneatur non amplius hu-  
„manum genus delere diluvio, quid agat om-  
„nino nesciens, cui meritò opus sit assiduo  
„monitore. Iste verò non memoria, sed  
anima mortua, quid loquatur nesciens, si in  
rebus apertioribus calumniatur, quantò magis  
c caligat in nubibus, & delirare compel-  
latur? Cui tamen ut citò respondeam, ita di-  
co Deum admoneri se voluisse, quamvis non  
sit oblitus, sicut Christus doceri se voluit,  
ubi Lazarus positus fuerit, quamvis non esset  
ignarus. Nolo enim dicere, <sup>d</sup> quos arcus ille  
significet, resplendens è nubibus fulgore & ra-  
diis luminis, quo roscida illustratur obscuri-  
tas, grata quodam modo confessione respon-  
dens; & quomodò Deus non perdat orbem

Q 3 di-

<sup>a</sup> In MSS. noverant.

<sup>b</sup> Ita MSS. Editi verò, sine misericordia.

<sup>c</sup> MSS. caliginatur. Am. caligatur.

<sup>d</sup> Sic MSS. Editi autem, quid arcus ille significet.

Luc. 10. 20.

Joan. 11.  
34.Matt. 22.  
42.Matt. 21.  
24.

Joan. 11.

34.

Marc. 5.  
31.

diluvio spiritali, dum est eorum memor, quorum illuminatae nubes figuram gerunt: horum enim nomina scripta sunt in caelis, ut memor sit eorum Pater qui est in caelis; quoniam non de suo lucere se sciunt, sed de sole justitiae, sicut illae nubes de sole visibili. Sed ex illo quod commemoravi, urgendus est, quomodo accipiat Dominum dicentem de Lazaro: *Ubi posuistis eum*; & locus ei tamquam ignoret, ostenditur. Nisi enim aliquid eum ista, qua nesciens videbatur inquisitione significasse fateamur, quomodo praedicamus Christum non solum scisse praesentia, verum etiam futura praescisse? Maximè quia iste in eam se praecipitavit mirabili caecitate sententiam, ut diceret, nemo nisi ignarus interrogat. Ubi cogitare non potuit, quoties Christus interrogaverit. An non interrogat qui dicit: *Quid vobis videtur de Christo? Cujus est Filius?* Quid hoc testimonio manifestius? Quod si nimium durus est, numquid etiam ibi negabit interrogasse Christum, ubi se ipse interrogare testatur, dicens: *Interrogabo vos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua potestate haec facio: Baptisma Joannis unde erat, è caelo, an ex hominibus?* Ubi nunc se abscondet loquacissimus contra Deum, & desperatissimus disputator? Ubi est quod ait, nemo nisi ignarus interrogat? Ecce Christus ignarus non est, & tamen interrogat. His nempè oculis reprehendit prophetarum Deum, quibus non videt Christum. Sed in talibus interrogationibus apertissimè doctor est Christus. In his autem quando ait: *Ubi posuistis eum?* & *Quis me tetigit?* et si quid dixisse hujusmodi legitur, videtur doceri velle quod nescit, & tamen scit.

scit. Sic ergo & in illis libris Deus tamquam oblitus admonetur, sed tamen absit, ut quidquam unquam obliviscatur.

44. Quid illud ipsum quod dixit Dominus discipulis suis: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis*; nonnè videtur tamquam ex illo arcu, qui refulget ex nubibus, velut quibusdam in caelo Deus litteris admoneri? Nisi haec piè accipiantur, donec fides impetret ut intelligantur, nonnè ut fabulosa ridentur? Quibus ridentibus, nisi insipientibus, & eo ipso quo sapientes sibi videntur, magis magisque dementibus? Quis enim cogitat, quomodo ad memoriam Dei scribantur in caelis sequentes Dominum, dereliquentes autem Dominum scribantur in terra, de quibus propheta Jeremias dicit: *Universi qui derelinquunt te, confundantur; recedentes a super terram scribantur?* Quos benè intelligitur significasse Jesus, quando Judaei victi atque confusi, cum audissent: *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem jaciat*; unus post alterum recesserunt. Tunc autem ille ostendens de quo numero essent, digito scribebat in terra.

45. „SI putamus, inquit, merito conversionis suae homines diluvii excepisse sententiam, & Noe justum ad reparationem creaturae melioris esse servatum; cur exinde pejores oriuntur, & in eisdem actus vitae sordentis, humani generis etiam nunc „nativitas revolvitur?“ Ita hoc dicit tamquam vixerit cum eis qui diluvio perierunt, & inde noverit quod nunc pejores oriuntur. Sed sive in pejore, sive in eodem, sive in meliore actu

Q 4

post

2 Editi addunt, à te, quod à MSS. abest, & à LXX.

Luc. 10. 20.

Jer. 17.  
13.  
a

Joan. 8. 7.

CAP. XXI.

post diluvium genus versetur humanum, puto  
 a Deo dimittendum esse iudicium, qui novit  
 retribuere unicuique secundum merita ejus:  
 non huic cani rabido adversus Dominum suum  
 latranti, vel asino stulto adversus stimulum  
 calcitranti. Apostolus clamat: *O altitudo di-*  
 Rom. II. *vitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam*  
 33. *inscrutabilia sunt iudicia ejus, & investi-*  
*gabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum*  
*Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Et*  
*iste illi, cui nullus est consiliarius, audet esse*  
*adversarius. Quid autem interest, morituris*  
*cunctis, quantum ad mortem adinet corpo-*  
*ris, utrum singillatim, an simul omnes pa-*  
*riterque moriantur; nisi quod cum singuli mo-*  
*riuntur, & omnes mortem, & omnes de mor-*  
*tuis patiuntur dolorem; cum autem simul uni-*  
*versos rapit unus interitus, saltem nemini re-*  
*linquitur luctus? Verum etiam altius in illo*  
*diluvio consilium Dei fuit, quam cor infi-*  
*delium vel novit, vel capit. Sed nolo me,*  
 Apostolum Petrum potius audiat iste dicen-  
 tem: *In diebus Noe cum fabricaretur arca,*  
 I. Petr. 3. *octo animas salvas factas per aquam: quod*  
 20. *& vos, inquit, simili forma baptismi salvos*  
*facit, non carnis depositio sordium, sed*  
*conscientiae bonae interrogatio in Deum per*  
*resurrectionem Jesu Christi. Ecce habet ex-*  
*positum diluvii sacramentum. Ubi propterea*  
*est additum, per resurrectionem Jesu Chris-*  
*ti, ut diem intelligeremus octavum, quod*  
*significavit in arca numerus hominum: octavo*  
*enim die, hoc est, post septimum sabbati*  
 Dominus resurrexit. Sic ergo illa quae gesta  
 com-

a Editi, *Dei dimittendum esse iudicio. Concinnius MS. Deo. . . iudicium.*

commemorantur, si quis intelligit, etiam prophetae fuerunt. Sed iste praeter arcam, id est, praeter Ecclesiam constitutus, submersus est diluvio, non ablutus.

46. DE testimonio quoque Isaiae prophetae calumniatur atque blasphematur, eo quod dixerit: *Filios genui, & exaltavi, ipsi autem me spreverunt;* & eosdem paulo post appellaverit semen pessimum, tamquam se ostendens genitorem malorum, cujus filii sunt semen pessimum: nesciens ob hoc eos dici semen pessimum, quoniam gratiae Dei, qua ejus filii facti fuerant, peccando degeneres existerunt, eorum filii facti, quorum imitatores esse voluerunt. Unde illis alio loco dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa;* quarum gentium sunt impietatem malitiamque sectati, ex quibus tamen carnis originem non ducebant. Sed solvat iste quaestionem Evangelicam, ubi Dominus dicit: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* Dicat quemadmodum sit bonus Deus malorum pater: utrumque enim Veritas dixit. An non erant mali, quibus ait: *Si ergo vos cum sitis mali?* An non habebant Deum bonum patrem, quibus ait: *Quanto magis Pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* Porro si mali appellati sunt propter peccata, sine quibus non est in hac infirmitate mortalium quorumlibet etiam vita justorum; quanto convenientius semen pessimum diceretur, quod nasceretur impia voluntate, & moribus execrabilibus pullularet?

47. „Sed hunc, inquit, Deum Dominus  
 „Christus appellavit arborem malam facien-  
 „tem

CAPUT  
 XXII.

Isaia I. 2.

Ezech. 16.

3.

Luc. 11.

13.

Matth. 7.  
17.

„tem fructus malos.” Imò verò hujus talia sentientis, tamquam malæ arboris, iste ipse sermo blasphemus, fructus est malus. Nam hominem malum dixisse Dominum arborem malam, cujus fructus mali essent opera mala; & hominem bonum arborem bonam, cujus fructus boni essent opera bona; id est, ipsas hominum voluntates, vel malam mali hominis, vel bonam boni hominis, diversas esse arbores diversos fructus ferentes, satis evidenter ipse testatur, dicens: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quomodo autem diceret: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*; nisi homo posset nunc in hoc, nunc in illud mutata voluntate converti?

CAPUT  
XXIII.

Isai. 45. 7.

48. „SED ipse Deus, inquit, per eundem prophetam fatetur, & dicit: *Ego sum Deus faciens bona, & creans mala.* Ita plane: ipse est enim Deus, de quo dicit Apostolus: *Vides ergo bonitatem, & severitatem Dei.* Hæc autem severitas ejus damnabilibus mala est, quia malum illis damnationis importat. Nam quia justa est, alio modo reperitur bona: omne enim justum bonum. Quam verò eleganter sibi videtur iste verba discutere atque discernere, nesciens quid loquatur! Quando quidem hoc ipsum, quod ita posuit hoc testimonium, ut non diceretur, faciens bona & mala; aut creans bona & mala; aut creans bona & faciens mala; sed, *faciens bona & creans mala*; vult vertere in crimen: & conatur ostendere, quod fit, forinsecus fieri; quod autem creatur, apud ipsum esse creatorem, atque inde procedere: ut videlicet  
Deus

Deus prophetarum tamquam extranei à se boni factor aliquando fuisse videatur, creator autem mali tamquam natura malus de se ipso proferens quod creavit. Quæ verba si ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, & fieri, & creari, non solum filii quos de semetipso quisque generat, verum etiam magistratus dicuntur atque urbes, & quæcumque alia quæ non exeunt de gignente, sed forinsecus fiunt. Si autem quomodo Scripturæ sanctæ, quibus iste insidiatur, loqui soleant, perscrutemur; aut hoc est facere quod creare, à quo tamen distinguitur gignere; & variandi verbi causa, non ad aliquam rerum differentiam, dici potuit: *Faciens bona, & creans mala*; cum dici etiam posset, creans bona, & faciens mala; aut si ullam voluisset propheticus Spiritus hic esse distantiam, multo accommodatius sic acciperentur hæc verba, ut intelligeremus, id fieri, quod si non fieret, omnino non esset; creari autem, ex eo quod erat condi aliquid vel constitui, sicut diximus creari magistratus atque urbes: nam & illi ex iis, qui jam homines erant, constituuntur in honoribus, cum magistratus creantur; & ligna & lapides quibus construuntur urbes, utique jam erant, sed nondum in illam rerum faciem, quam videmus in urbibus, quodam ordine & compositione venerant; quod cum fit, creari urbes dicuntur. Quod enim græci appellant *πρῆξις*, hoc nostri aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere interpretantur, quod sæpissime idem significat in illis litteris, quod est facere. Nam & *fecit Deus hominem ad imaginem Dei*, & *Deus creavit hominem inexterminabilem*, legimus: & si aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc  
rec-

Sap. 2.23

rectius potest interesse quod dixi, ut facere sit, quod omninò non erat; creare autem, ex eo quod jam erat, ordinando aliquid constituere. Ideòque hoc loco dictus est Deus creans mala, quoniam peccantibus ea convertit in malum, dispositione severitatis suæ, quæ bonitatis ejus largitate bona facta sunt. Unde dicit Apostolus Paulus: *Christi bonus odor sumus<sup>a</sup> in omni loco, & in iis qui salvi fiunt, & in iis qui perireunt: quibusdam quidem odor vite in vitam, quibusdam verò odor mortis in mortem.* Sed cum continuò sequatur, & dicat: *Et ad hæc quis idoneus?* nonnè importuni quodam modo sumus ingerere ista carnalibus non studiosis, sed contentiosis, nullò modo idoneis ea capere, quæ utinam saltem desinerent carpere?

2. Cor. 2.

15.

a

49. Quantus quippè confictus adversùs Arianos fuerat excitatus, ne Unigenitum Filium dicerent esse creaturam, idem putantes creatum esse quod genitum, iste fortassis ignorat. Sed ut ejus regula fallax atque distorta, ex eodem prophetico & evangelico testimonio, quod ipse posuit, percussa frangatur; sic Deus loquitur per Prophetam: *Ego creans lucem & faciens tenebras, faciens pacem & creans mala.* Quod ipse nec totum, nec sicut illic legitur, posuit. Atque illud quidem facilè dissimulandum est, quod pro pace posuit *bona*; quoniam pax bona est. Sed illud prætereundum non est, quia hujus sententiæ partem superiorem dolo potuit præterire, ne diceret, *creans lucem*: quia cum sit lux etiam con-

<sup>a</sup> Lov. Deo in omni loco. Abest Deo ab editis aliis, & MSS.

confitente ipso utique bona, ab eo creatam noluit conheri, quem non vult creare nisi mala. Magis ergo indifferenter id positum debemus accipere, creare & facere: distinctionis tamen, quam sibi iste fecit, regula fracta est; quoniam Deus prophetarum, quem de verbo quod non intelligit culpat, ibi legitur creator bonorum, quod negat. Itemque ex Evangelio. Nempè nobis tamquam plurimum suis partibus faveret, opposuit quod Dominus ait: *Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit.* Cur ergo non secundum istum, creat, dixit, non, *facit*; si vera est ejus differentia, qua facientem à create distinguit dicens: Quod fit, alienum esse à faciente, quoniam de foris<sup>a</sup> accedit; quod autem nascitur, proprium ejus esse qui generat? Hinc enim existimat Deum generatorem malorum, quia dictum est, *creans mala*; putans quod & Ariani putaverunt, in Scripturis illis nihil interesse, utrum generari dicatur aliquid, an creari: sed certè in eo quod Dominus arborem bonam fructus bonos, malam malos non dixit creare, sed facere, videat iste suam regulam fractam, & comprimat linguam. Quid enim stultius, quam dicere, Deum prophetarum esse arborem malam, & id vellem intelligi in eo quod Dominus ait: *Arbor mala fructus malos facit*: & rursus dicere, non facit mala, sed creat; quia si faceret, aliena ab illo essent, eique forinsecus accederent; cum verò creat, ipse illa de se ipso tamquam radicitus generat? Non ergo de isto Deo Dominus ait: *Arbor mala malos*

Math. 7.

17.

Ibidem.

<sup>a</sup> In MS. de foris accedit: & infra, forinsecus accederent.



*los fructus facit: quoniam creat mala iste, non facit. Ecce qui audet accusare Prophetas, qui ex Evangelio à se productis testibus refragatur.*

CAPUT  
XXIV.

Deut. 28.  
56.

50. ITEM verba quædam ex libro Deuteronomio, velut impura exhorrescens, impurus exagitat: quasi Deus verecundari debuerit, pendenda impiis irrogare, vel prænuntiare tormenta, nec eo comminari modo, ut diceret: *Quæ mollis in vobis & tenera nimis fuerit, cujus experimentum non accepit pes ejus ambulare super terram præ teneritudine & mollietate, & zelabit oculo suo virum suum, & filium suum, & filiam suam, & secundas suas, & quod exierit per femora ejus comedet.* Imò verò quanto est horribilius, tanto est terribilius. Neque enim à Propheta monendo dictum est, sed minando: non ut hæc homines facerent; sed ne illa facerent, quæ sensus perversus exercet, & ad hæc pervenirent, quæ sensus humanus exhorret. Quis autem dignè eloqui possit, quàm sit mentis execrabilior fœditas, pœnas exhorre meritorum, & merita non cavere pœnarum? Dicat planè Spiritus Sanctus intaminatus & intaminabilis, quod audire anima recusat immunda, & esse non recusat immunda. Immunditiam quippè aversatur carnis, offensibus carnis, & immunditiam diligit suam, extinctis sensibus cordis. Dicat hæc Spiritus Dei, & per horrorem talia mala patiendi, incutiat timorem male faciendi.

51. Idem namque Spiritus etiam per Apostolum loquens, sensus impios non est verecundatus offendere, dùm pius vellet instruere: ubi commemorata impietate quorundam, qua coluerunt & servierunt creaturæ potius quam  
Crea-

Creatori, subjunxit, atque ait: *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominie. Nam femine eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam: similiter autem & masculi, relinquentes naturalem usum femine, exarserunt in appetitum suum in invicem, masculi in masculos deformitatem operantes, & mercedem mutuam, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Si quisquam inimicus Apostoli vellet ex his verbis talia dicere, qualia dicit ex librorum veterum quibusdam locis iste blasphemus, nonnè haberet amplam materiam in qua loquaciter insaniret; & quanto sibi a viderentur disertiora dicta, tanto a detestabiliora maledicta jactaret; maximè quia dictum est: *Mercedem mutuam, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes?* Oportuisse quippè non est veritus dicere Apostolus, ut qui creaturæ potius quàm Creatori servierunt, erroris sui mercedem, non inviti hæc turpia patiendi, sed libenter faciendo, reciperent: iudicio scilicet, non alicujus hominis immundissimi, quem talia delectarent, sed justissimi Dei, qui tradidit eos in passiones ignominie; ut crimina criminibus vindicentur, & supplicia peccantium non sint tormenta, sed incrementa vitiorum. Sapiens autem cum hæc audit, ipsam magis in hac vita iram Dei timet, qua homo non patitur quod acriter dolet, sed facit quod turpiter libet; & ejus cui talia iudicia displicent, verba insana contemnit, quia b in ipso pœnam Pharaonis, hoc est, indurati cordis agnoscit. Si enim quos-

a Sic MSS. Editi verò, *videratur disertiora dicere.*

b Editi, *quia ex ipso.*

dam, qui non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt; quid mirum, si & istum qui divina blasphematur eloquia, tradidit Deus in reprobam mentem, ut dicat quæ non conveniunt? Sic enim oportet hæreses esse, ut probati, inquit Apostolus, manifesti fiant in vobis. Sic vasa iræ locis congruis & temporibus ordinantur, ut etiam de ipsis notas faciat Deus divitiarum gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ de massa ejusdem damnationis fiunt in honorem, gratia illius, non meritis suis. Ille quippe donat prodesse nobis, non solum quod docet veritas, verum etiam quod obstreperit vanitas; ut cum responderetur inquietissimæ vanitati, auscultetur sincerissimæ veritati.

1. Cor. II.  
19.

Rom. 9. 22.

a 52. De turpi maledicto a arguit vanitas: sed turpe non esse, quibusdam rebus turpibus nominatis cavendam ostendere turpitudinem, misericors indicat veritas, & vecors vincitur vanitas. Nam de turpi maledicto potest à verbosis impiis reprehendi, & Apostolus Paulus, ubi ait: *Utinam & abscindantur, qui vos conturbant*; quod etsi benè intelligentibus benedictio magis apparet, ut fiant spadones propter regnum cælorum; potest tamen garrula cæcitas etiam in Apostolo hoc reprehendere, contendens, quod non debuerit rem honestam turpi verbo enuntiare. Possunt & ipsum Dominum, qui ejusdem continentiarum donum commendans ait: *Sunt qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*. Legunt quippe isti litterationes (sic enim potius quam litterati appellandi sunt, qui legent

Gal. 5. 12.

Matt. 19.  
12.

a Nonnulli MSS. Deum arguit.

gendo litteratos, nihil sapere didicerunt) legunt ergo apud Ciceronem tale aliquid, unde sibi videantur doctè Christi verba culpæ, perditum potius quàm peritum. Ille namque, cum doceret in translatione verborum obscœnitatem esse vitandam, Nolo, inquit, dici, morte Africani castratam esse rempublicam. Sed si hoc verbum ipse quod vitari volebat, ut vitandum ostenderet, non vitavit, & quod dici noluit, coactus est dicere; quanto magis res, quæ verbo eodem rectè significatur, ut ab audiente possit intelligi, suo verbo enuntiatur? Atque ut ad illud redeamus, quod iste in Deuteronomio reprehendit, si Cicero vir eloquentissimus, & verborum vigilantissimus appensor & mensor, quod dici noluit, dixit, ne diceretur: quanto melius Deus magis morum quàm verborum pulchritudinem quærens atque munditiam, turpe aliquid non turpiter, sed minaciter dixit, ut hoc horreretur, ne a illud committeretur, propter quod ad illa, quæ audire horroris est, veniretur? Et tamen cum legitur, aures infidelitas claudit, avertit faciem, exasperat vultum, linguam vibrat, blasphemias jaculatur. Videat si non sunt isti ex isto genere hominum, qui loquente Christo de Sacramento corporis & sanguinis sui dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Nisi quod excusabiliores sunt, qui verba divina, quæ non intelligebant, non in maledictione, sed in benedictione horribilia non ferebant. Mirum enim non est, si maledictum, quando auditur, horretur; nec exigendum est, ut verbis non horrendis di-

Cic. 3. de  
Oratore.

Joan. 6. 61.

TOM. II.

R

CA-

a Am. & MSS. ne aliud committeretur.

Joan. 6.  
56.  
Ibid 54.

catur, quod ad hoc dicitur, ut ab exhorrente timeatur. Dominus autem talia dicebat, quæ amari præciperet, non timeri. Et tamen quæ infidelitas sufferat: *Caro mea verè cibus est, & sanguis meus verè potus est; & Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis?* Si ergo Dei sapientia, verbis Sacramento congruis pascens animam credentem, non curavit insipientiam nauseantem: quanto magis eadem ipsa sapientia, ubi locus, & tempus timoris fuerat, non amoris, salubrem volens importare terrorem, non curavit insipientis errorem, quamvis ejus prævideret horrorem? Quis autem istorum spiritalem novit horrere animæ foeditatem, cum velut sua quadam fame atque egestate compellitur comedere, quæ de suis carnalibus cogitationibus tamquam de femoribus exeunt? Nam illius maledicti, quod iste velut turpe reprehendit, rarus effectus est; vix enim aliquandò tam magnum est flagellum famis, ut ad nefanda illa compellat: ista verò fame, qua miserorum animæ inopes veritatis ea pro veritate comedunt, quæ carnalibus sensibus pariunt, usquequaque plena sunt omnia, tanto infeliciùs, quanto nocet ampliùs, & horretur minùs.

53. Sed puto me unì libro illius, quem misistis, nostro non uno, ne nimium prolixus sit, respondere debere: proinde hic faciamus hujus finem, ut ex his quæ discutienda restant, alius inchoetur. Nescio quo enim modo ita libri termino reficitur lectoris intentio, sicut labor viatoris, hospitio.

## LIBER SECUNDUS.

*In quo novi Testamenti loca, quæ Legis & Prophetarum Adversarius velut eis contraria collegit, discutiuntur.*

JAM nunc ea discutienda sunt, quæ iste de novi Testamenti libris suffragari sibi arbitratur adversus propheticas litteras, tamquam eas Apostoli Christi sua sententia condemnaverint. Quod ergo profanas & aniles fabulas, & genealogias infinitas appellasse Apostolum existimat divina eloquia Legis & Prophetarum, quia dixit: *Profanas & aniles fabulas devota* 1. Tim. 4. & alio loco: *Ne intendas fabulis judaicis,* 7. & *genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem:* quis ita nisi hæreticus multùm cæcus erraret? Cur enim hoc Apostolus ipse non fecit, si has esse aniles fabulas iudicavit? Cur dicit ad Galatas: *Dicite mihi, sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: quæ sunt in allegoria; hæc enim sunt duo Testamenta.* Et ad Corinthios: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eundem cibum spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant* <sup>a</sup> *enim de spiritali sequen-*

CAPUT I.

1. Tim. 4.

7.

1. Tim. 1.

4.

Gal. 4.21.

Gen. 16.

15. &amp; c. 21.

2.

1. Cor. 10.

1.

R 2

te

<sup>a</sup> Lov. bibebant autem de spiritali sequente eos petra. At MSS. omisso eos, babent, bibebant enim, juxta græc.